

2861

## LITURGICI

2862

Atque haec nemo Editorum in suis Exemplis reperit.

## DCCXCIII.

87 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 148. f. nitide, non tamen eadem manu, nec eadem litterarum magnitudine, exaratus varios de *Officiis Ecclesiasticis Tractatus* complectitur, quos ex ordine recensemus. Inscriptio frontis est: *Incipit ordinarius liber. secundum modum antiquorum. Sequitur Dissertatio de Temporibus Festorum, et maxime de tempore inchoandi Adventus* scripta, ut ex decursu patet, a Monacho quodam *Floriacensi* hoc initio: *Sciendum sane est. et omnibus ordo doxis fidelibus memoriter retinendum &c. Finit vero sic: Contigit namque quodam anno mediante decennouenalis cycli curriculo. ut aurelianenses canonici. causa agente negligencię. in. VI. kl. decembris. aduentum domini inchoarent. Transacta quoque illa ebdomm. extitit octaua dies. quę est III. N. decemb. Et nos floriacenses fratres. monachi uidelicet beatissimi patris benedicti. initium fecimus aduentus domini. Cumque in crastinum. quod est pridie. N. decemb. festum haberetur illationis eiusdem patris (de hac *Diedericus* Monachus, *Biblioth. Floriac. pag. 218.*) et prefati canonici tantę festiuitati ex amore occurrerent. et nos ex consuetudine monastica. matutinalem celebraremus missam de aduentu domini. quem pridie inchoauimus. ceperunt ipsi aurelianenses ualde in-*

ter se musitare. et nos incurię arguere. Sed quia tanta tanti patris sollempnitas. nos a responsione suspendebat. in crastinum res admodum uentilata est. Et quia sine presentia eiusdem urbis episcopi finiri non potuit. placuit sine mora omnibus francigenis episcopis. apud iam dictam urbem concilium. super aduentu domini agere. Ibi quippe nos floriacenses. pariter armati auctoritate. et indigladialiter parmati affuimus. et ita contra dicentes in omnibus conuicimus. ut eternum eis silentium. super hoc negotio imponeremus. Ex illa die et deinceps non est apud gallos. uel germanos presumptor inuentus. qui huic tam sanę diffinicioni uellet contra ire. quapropter si est unus dominus. una fides. unum baptisma. sit et una ecclesia. una unitas. Concilii Aurelianensis hic memorati nullam apud Scriptores mentionem inuenio.

Fol. 1. p. 2. Incipit de formula secundum quam synodus sancta fieri debet. Formula haec cum iis, quas *Joach. Hildebrandus* et *Steph. Baluzius* ad calcem *Reginonis* edidere, egregie conuenit.

Fol. 3. Oratio super eum qui nouiter inter fratres uenit. Quam statim excipit *Benedictio* super *Capsellas* et *Fustes*. et super illos qui cum his limina ac suffragia sanctorum Apostolorum petaturi sunt. Per *Capsellas* Thecae Reliquiarum intelliguntur.

Fol. 4. In Christi Nomine incipit Ordo catholicorum librorum. qui in ecclesia romana ponuntur. Initium hujus Ritualis ducitur a *Vigilia Natalis Domini*, ejusque potissi-

2863

## CODICES

2864

potissimae partes sunt sequentes:  
*Ordo feria. IIII. XLmae.* cui infer-  
 ta est Confessionis et Reconcili-  
 ationis Poenitentium Formula.  
*fol. 7. Ordo uel Denunciatio Scruti-*  
*nitii ad electos. quod. III. ebdoma-*  
*da. in XL. II. feria iniciatur. Scru-*

tinium istud Catechumenorum exa-  
 men est. f. 10. Cerimoniae Heb-  
 domadae majoris. f. 15. *De leta-*  
*nia maiore et minore.* f. 33. No-  
 tandum hic geminum Litaniarum  
 distichis inclusarum specimen,  
 quorum primum incipit:

*Summus. et omnipotens genitor. qui cuncta creasti  
 Aeternus christus filius atque deus &c.*

Habetur hoc in *Henr. Canisii  
 Lect. Antiq. T. V. P. 2. p. 734.*  
 et in edit. earund. *Jac. Basnagii  
 T. II. P. 3. p. 192.* inscriptum:  
*Hartmanni Monachi S. Galli Li-*  
*taniae ad processionem diebus domi-*  
*nicis,* hac tamen praeter alia mi-  
 noris momenti differentia, quod  
 pro *Galle dei summi* et *Sancte Oth-*  
*mare pater noster* legat *Theodore*  
 (Theodore?) *summi* et *Sancte Al-*

*bane pater,* unde videtur olim in  
 usus *Monasterii Moguntini ad S.*  
*Albanum* conscriptus fuisse, quae  
 opinio inde etiam conualefcit,  
 quod in altero *Litaniarum* speci-  
 mine sola haec verba: *Sancte Al-*  
*bane intercede,* literis quadratis  
 exarata sint. Deest praeterea prio-  
 ri specimini in impressis ultimum  
 hoc distichon:

*Kyrie pantocrator ysos fodisse te pantos  
 Subbaleos ymon criste eleyson ymas.*

Alterum Specimen comparet in  
*H. Canisii Lect. Antiq. T. V. P.*  
*2. p. 742. edit. Basnag. T. II. P.*

3. p. 199. sub titulo: *Litania  
 Ratperti ad processionem diebus Do-*  
*minicis,* et incipit:

*Ardua spes mundi solidator et inclite celi.  
 Cbriste exaudi nos propitius famulos &c.*

Atque hic praeter alia leviora Codex noster post Distichon VIII. se-  
 quens:

*O Martine dei confessor summeque sacerdos  
 Gemma sacerdotum. auxilium fer ymon.*

Et post Dist. XII. sequens inferit:

*His uualburga comes. nostras pia suscipe uoces.  
 Nos et cum domino protege sancta polo.*

Ver-

Versui quoque XXII. *Auxilio tuos undique redde tuos*, substitutus est hic: *Pontifices fidos ac reliquos famulos.* Fol. 37. p. 2. in *Ordine de sabbato sancto. in uigilia pentecostes* rubrica sic habet: *Finitis leccionibus descendendum est ad fontes cum sancto crismate. et cereis in magna reuerentia decantando letaniam. Aliqui dicunt letaniam noricam.* Quid hic nomine *noricae*? An Hymnus accentibus musicis notatus, qui sequitur? *Rex sanctorum archangelorum totum mundum adiuua &c.* An *Norica* hic pro *Theotisca*? Fol. 39. incipit: *Ordo ecclesiasticorum Graduum* et quidem ab *Oratione ad capillaturam incidendam.* Ea, quae sequuntur multum cum peruetusto Rituali conveniunt, quod exhibet *Lud. Ant. Muratorius Liturg. Rom. vet. T. II. col. 415.* Fol. 50. legitur *Ordo ad benedicendam aecclesiam.* Orationes eadem, quae *Liturg. cit. col. 467.* et *Ordo*, prout apud *Hittorpium de div. Off. p. 107.* Fol. 63. *Ordo romanus ad dedicandam ecclesiam*, cui cohaeret *Expositio rituum* hac in re usitatorum, uti et uestium aaron primi pontificis. Fol. 76. *Ordo processionis ad ecclesiam siue missam secundum romanos.* Confer *Liturg. supracit. col. 973.* et *G. Cassandri Liturgic. C. 22.* Fol. 81. *Ordo missae a sancto petro institutus cum expositione sua.* Est quaedam *Catechesis rudior de Missae ritibus*, quae legitur etiam apud *Hittorp. p. 582.* Fol. 86. *Ordo ad Regem benedicendum.* Fol. 89. p. 2. *Incipit Benedicchio Regine.*

Fol. 90. *Ordo Romanus ad benedicendum Imperatorem*, quem eod. f. excipit *Ordo ad Monachum faciendum*, et f. 91. p. 2. *Ordo Abbatis*, f. item 92. p. 2. *Consecratio sacre uirginis &c.* et sic reliqui omnes Ritus, qui apud *Hittorpium supracit. a pag. 141 — 157.* occurrunt. A Fol. 102. in Cod. nostro haec sequuntur: *Reconciliatio rebaptisati ab hereticis. Oratio super eos, qui morticinum comederint. Benedicchio cum impositione manuum super eos qui de diuersis beresibus veniunt, item redeuntis a paganis. Ordo qualiter sacerdotes suscipere debeant penitentes*, subjuncto prolixo peccatorum examine, additaque singulis poenitentia. *Ordo ad succurrendum his qui a Demonio vexantur*, cum pluribus *Exorcismis*, inter alios dictis *S. Ambrosii* et *S. Martini.* *Orationes pro salute unius uiui et pro Infirmo. Ordo ad visitandum et unguendum Infirmum. Missa pro Infirmo. Iterum Ordo ad unguendum Infirmum. Ordo penitentis ad mortem. Missae aliquot pro Infirmis.* Tandem f. 120. *In Christi nomine Incipit Obsequium circa Morientes cum ritu sepeliendi, variis Missis et Lectionibus ex Augustino, Gregorio M. et Caesario (Cypriano L. de Mortalit.) depromptis.* Fol. 130. *Incipit Maior Benedicchio Salis et Aque*, quam consequuntur plures aliae, puta: *In Sacratio, in cymiterio, in dormitorio, in caminata uel in pisela (conclavibus camino instructis) in uestiario, in scriptorio, in refectorio, in cellarario, in potionario,*

rio, in coquina, in pistrino, in lardario, in domo infirmorum, in hospitali, in introitu monasterii et demum super capsellas et fustes, quae jam supra fol. 3. lecta est. A Fol. denique 134. p. 2. uniuersum hoc *Rituale* notis illis *Iudiciis* seu probationibus per *Aquam frigidam* et *feruentem*, per *ferrum ignitum*, et *Panem Caseumque* terminatur. Rubrica primi sic habet: *Incipit Iudicium aquae frigidae. Cum uis hominem in aquam mittere ad comprobationem debes facere. accipe illos homines quos in uoluntate babes mittere in aquam. et duc eos in ecclesiam et coram omnibus cantet presbiter missam &c.* Sequitur dein *Missa* cum reliquis *Formulis*. Alterius hoc est initium: *Inquisitus aliquis de furto uel luxuria. adulterio. uel qualicumque re alia. et nolens confiteri magistro. seniori. uel misso senioris. ista erit ratio. — Deinde signet locum in atrio ecclesiae (Presbyter) ubi ignis fieri possit ad caldarium suspendendum. in quo aqua bulliens efficiatur. uel ferrum ignitum &c.* Sequitur praedicta *Missa* cum aliis rursus *Formulis*. Tertium demum sic orditur: *Iudicium Panis Et Casei. Ex pane ordeaceo pensa XII denarios. ex caseo similiter. accipiatque presbiter in lintheo. et mittat super altare in dexteram partem &c.* Tum iterum *Missa*, preces et conjurationes sequuntur, quarum postrema sic finit: *coniuro te per nomen domini. ut panem et caseum istum nunquam possis manducare. nisi flatis buccis cum spuma et gemitu. et do-*

*lore. et lacrimis fauces tue sicce efficiantur. et obligatę. antequam confitearis peccata tua.* De his iudiciis adi *Du Cangii Glossarium Lat. a D. Mauri* Monachis locupletatum, ubi et Autores habes, qui *veteres* ejusmodi *Formulas* congeffere, quas, cujus intererit, cum nostris contendat. Sequitur in *Cod. nostro*

Fol. 137. p. 2. breuis *Observatio* de genere *Nominum bebraicorum* in im syllabam terminatorum, quam excipiunt *Canones tres* de *Libris in Ecclesia legendis*. Horum primo Angelorum nomina praeter *michabelis*, *gabrielis*, *Raphabelis* coli prohibentur.

Fol. 138. p. 2. Epistola *Bernonis Abb. Monasterii Augiensis*. Sec. XI. Scriptoris ad *Aribonem Archiep. Mogunt.* de *Modo Celebrandi Adventum Domini*, quando *Natiuitas* in feriam secundam incidit cum *Aribonis* Responso. Extat impressa ex *Cod. S. Emmerammi T. IV. Tbes. Anecd. Bern.* Pezii P. 2. col. 39. Meminit in hac Epistola *Berno Adalboldi Ep.* et *Herigeri Abb. συγχρονων*, quorum illum Praefulem *Ultrajectinum* a. 1027. defunctum credimus; hunc uero *Lobensem* ab a. 990. ad a. 1007. *Coenobiar-cham*, qui, *Sigeberto* et *Tritheimio* testibus, sub sua et *Adalboldi* persona *Dialogum de dissonantia ecclesiae* circa adventum Domini conscripsit, a *Miraeo Gemblaci* Ms. uisum, ut ipse in *Schol. ad Sigeb.* notat.

Fol. 141. *Inicium Sancti Evangelii. Secundum Mattheum. Liber*

ber generacionis ihesu christi &c. Omelia Ex Commentario Rabani Archiepiscopi. De Eadem Lectione. Incipit: *Exordio suo satis ostendit. generacionem christi secundum carnem se suscepisse narrandam &c.* extatque Opp. T. V. edit. Colon. initio. Ultima nobis verba sunt: *appellari fecit perenni nomine christianos.*

Fol. 143. p. 2. *Symbolum Apostolorum.* Catechesis est in illud explanatoria hoc initio: *Haec Doctrina Apostolica. Symbolum dicitur an latina? &c.* Hoc fine: *Amen vero hebreus sermo est. latine dicitur uere. siue fideliter. siue fiat.*

Fol. 144. p. 2. *Ordo De Verbis Grecis Baptisterii.* Quomodo uertantur in latinum. Incipit: *Baptizo te. Hoc est Unguo te &c.* Finit: *semper fuit pater. semper filius. semper spiritus sanctus.* Eiusdem rationis est cum praecedente.

Fol. 145. *Expositio Sancti Athanasii Alexandrini Episcopi de Fide Catholica.* Incipit: *Fides est credulitas illarum rerum. que non uidentur. &c.* Desinit: *id est absque ruga. firmiterque crediderit. saluus esse non poterit.* Quamvis per Bibliothecas PP. variae huiusmodi Catecheses occurrant, praesentium tamen Autorem detegere nequaquam potuimus.

Fol. 147. *Collecti quidam Canones de Iudaeis ex Conciliis A-*

*gath. Tolet. &c.* comparent; quibus tamen p. 2. alia manu interjecta est sequens Nota: *Anno dominice incarnationis Mill LXX°. Indictione VIII. XII. kl. iul. dedicauit hoc oratorium Ernfridus altenburgensis ecclesie episcopus consensu Sigifridi archiepiscopi mogontine sedis rogante et presente Arnoldo abbate monasterii sancti Albani In honorem domini nostri ihesu christi et sancte Crucis et sancte Marię perpetue uirginis et Sancti Albani mart. Hę reliquę continentur in hoc altari Sancte Marię v. Sancti Iohannis bapt. Bartolomei apostoli Albani mart. Sebastiani christi mart. Yppoliti mart. Romani mart. Iuuenalis mart. Siluestri pape. Gerdrude v. Waltpurge v. Ex hac Nota sequi uidetur primo: Falli Scriptores, qui sedem Altenburgensem siue Oldenburgensem a morte Ezonis seu Eyzonis 1062. per annos 84. vacasse adfirmant. Dein emendandam in Chronico S. Albani a G. Hellwichio edito et Rer. Mogunt. T. II. P. 2. p. 713. inserto Abbatum Seriem, Arnoldumque ad an. 1070. reponendum. Denique Sigifridum Oratorii dicandi provinciam Ernfrido detulisse ob iter eo anno Romam susceptum, de quo Nic. Serarius Rer. Mogunt. L. V.*

Fol. 147. p. 2. sequuntur octo Verficuli ad S. Vincentii tumbam, ut uidetur, adscripti, quos damus:

*Vincens torquentem. uictor uincens hostem.*

*Palma martyrii quem cepit regia celi.*

*At nos indignos magna pro parte potitos.*

*Corpore sacro loculo gaudemus in isto.*

Hic

*Hic et apostolicus sua per suffragia cetus.*

*Sic semper domino commendat in omnibus almo.*

*Crimina quo tergat obstantia queque remittat.*

*Et mereamur eum quandoque uidere per eum.*

Reliquias Pugilis hujus a *Carolo M.* ad *S. Albani* ecclesiam translatas memorat *Chronicon suprac. L. I. Sect. 1. c. 4. et 5. Serarius Rer. Mog. L. I. c. 17.* de solo Capite vult intelligi; sed verba: magna pro parte, plus suadent. Verficulos excipiunt *Epistolae* binnae recentioris aliquantum calami. Primam *Eugenii III. P. M.* ✠ 1153. ad *Henricum Archiep. Mog.* ✠ eod. anno integram adscribere lubet: *Peruenit ad aures nostras quod quidam pseudo nuncij per partes uestras sub nomine nostro discurrunt. et indebitis exactionibus fideles ecclesie fatigare presumunt. Quia ergo tante presumptionis audacia ad infamiam sancte Romane ecclesie et nostram spectare dinoscitur. per presentia tibi scripta mandamus. quatenus tam per te quam per episcopos ecclesie tue suffraganeos circum uagationes talium studiose ac diligenter attendas. et si aliquis ad manus tuas uel suffraganeorum tuorum deuenit. et precipue *Ildebrandinus* quondam dilecti filij nostri *Facinti* diac. cardin. seruiens. capi facias. et tamdiu in captione detineas. donec quid exinde facere uelimus per scripta nostra cognoscas. Dat. Tuscul. VIII. k. Novemb.* Altera *Epistola* sic inscripta est: *W.* (*Wichmannus*) *dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus et canonicus quondam halberstadensis ecclesie*

*que iam non est. quia in fauillas heu redacta est. Capitulo Moguntine ecclesie. omnibusque prelati et toti clero et populo eiusdem ecclesie perpetuam in domino salutem.* Describit horrendum excidium ab *Henrico Leone* Saxoniae Duce exautorato *Halberstadio* illatum anno 1179. et *Moguntinorum* auxilium implorat. Narrat calamitatem hanc inter alios *Chronicon Montis sereni* et *Pegaviense* in *Script. Rer. Lusat. Chr. G. Hofmanni.*

*Fol.* demum 148. Codex hic noster bona fruge plenus, et rei maxime Liturgicae studiosis opportunus clauditur prolixa *Epistola Daiberti* primi *Archiepiscopi Pisani*, *Godefridi Bullionii* et *Regenmundi Comitis S. Aegidii* data ex *Palaeestina* anno MC. ad *Paschalem II. P. R.* de victoriis ex *Infidelibus* relatis cum petitione subsidii pro exercitu. Primus hanc *Epistolam* produxit *Card. Baronius T. XII.* ad *An. 1100.* n. 9. sed, ut ipse conqueritur, ex exemplari mendis scatente. Sincerius nactus in *Cod. Monast. Signiensis Edm. Martene* eam in *Tbes. novo Anecd. T. I. col. 281.* repraesentavit; cumque hic a nostro vix quidquam differat, nil nisi initium et finem hic adscribere visum est. Anno Domini *Mill. C. Actum est. Domino pape. Romane ecclesie. et omnibus episcopis.*

2873

## LITURGICI.

2874

*scopis. et uniuerſis chriſtiane fidei cultoribus. Piſanus archiepiſcopus. et alii epiſcopi. et Godefridus dux. dei gratia eccleſie ſancti ſepulchri nunc aduocatus. et Regeymundus (Raimundus) comes ſancti Egidii. et uniuerſus dei exercitus qui eſt in terra iſrael. ſalutem et orationem &c. ut in omnibus bonis que uel nos uel illi apud eum meruimus. partem uobis deus concedat. Amen.*

## DCCXCIV.

503 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 112. 4. non una manu exaratus et rubricis diſtinctus continet *Jobannis Beletbi*, quibusdam *Biletbi* aut *Bylyth* dicti *Rationale Diuinorum Officiorum*. Theologum hunc, incertum *Gallumne* an *Anghum*, Doctorem tamen *Pariſum Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib. Pitſeum* ſecutus clariſſime ait anno 1328. quos niſi *Albericus* in *Chronico* ad an. 1182. refelleret, character quidem præſentis *Codiciſ* erroris conuinceret. Inſcribitur iſ minio *Jobannes Beletb*, et incipit: *In primitiua eccleſia prohibitum erat, ne quis loqueretur linguis, niſi eſſet, qui*

*interpretaretur &c.* Editiones iteratas hujus Operis enumerat *Fabricius Bibl. med. Lat. L. IX. p. 56.* Mihi adjacet *Dilingana* 1572. 8. quae a *Codice*, quod ad phraſim, mire variat. Hic porro non perſtingit ad finem, ſed deſinit in C. 161. ſive *Officio pro Mortuis*, cujus membra inſuper non parum diſjecta ſunt. Finis enim eſt: *pro ualde malis quaeleſcumque ſunt conſolationes*; id quod in *Edit.* circa medium *Cap.* habetur. Poſt haec in *Cod.* prolixus locus adſcriptus eſt, qui ad C. 120. *Edit.* p. 222. pertinet, et de *Tempore Paſchali* agit hoc initio et fine: *Sciendum eſt quod per tres dies ſequentes paſcha feriandum eſt — — ſignificat paſcha futurum quod erit in fine mundi.* Opus cetera pro cognoscenda Sec. XII. Liturgia et Diſciplina eccleſiaſtica valde opportunum pertinuit olim ad *S. Cholomannum* Coenobium ſcilicet *Mellicenſe* O. S. B. in *Auſtria* infer. ubi ad compingendum illud adhibitae ſunt membranae Sec. XIII. continentes primo *Hilberti Cenomanenſis* Ep. Verſus elegiacos de *Mysterio Miſſae* ab initio uſque ad v.

*Quas duo de Seraphim nocte dieque canunt.*

Cumque in iis varia ad emendandam Editionem *Maur. Pariſ.* 1708. f. ſervire poſſint, iuuerit hic contentionem inſtituere. Itaque *Edit. col. 1136. Te tuus Emanuel*, *Codex: Te Deus Emanuel.* *Edit. col. 1137. quia quaſiſit*

*Author. Cod. quia quae fuit. Edit. quia quo tranſiit aberrans et uelut a laeva. Cod. quoniam dum perſiſtit errans, in laeva ueluti. Edit. poſt Diſtich. Quippe caput retegens &c. omittit ſequens:*